

19 maggio 1313

**Archivio di Stato di Pisa**, *Diplomatico Atti Pubblici* n.225. Diplomatico generale n.48861  
1313 maggio 19, ind.11. Lunghissima.

Riproduzione digitale in ASPi: ATP04448r e ATPo4448v

**Edizioni:**

*Monumenta Germaniae Historica, Diplomata regum et imperatorum Germaniae*, parte VI/2, cur. D. VON GLADISS, Weimar 1959, n.404, pp. 217-220.

**Regesto:**

Copia di un privilegio diploma di Enrico VII contenente la conferma dei privilegi della chiesa pisana concessi dagli imperatori Enrico IV, Enrico V, Corrado II e Federico I, e dai marchesi Gottifredo e Beatrice, dei quali è riportato il testo.

**Originale:**

Henricus septimus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, venerabili Oddoni Pisano archiepiscopo, principi et secretario suo dilecto, gratiam suam et omne bonum.

In litteris seu privilegiis dive memorie Henrici tertii, Henrici quarti ac Conradi secundi regis et Frederici, Romanorum imperatorum, predecessorum nostrorum, necnon G[ottifredi], ducis et marchionis, atque uxoris eius Beatricis, quarum litterarum seu quorum privilegiorum tenores, tuis precibus inclinati, presentibus inseri fecimus, sic vidimus contineri.

In nomine sancte et individue trinitatis. Henricus divina favente clementia tertius, Romanorum imperator augustus. Notum esse volumus omnibus Christi fidelibus, tam futuris quam presentibus, qualiter nos Henricus scilicet tertius, Romanorum imperator augustus, curtem Papiam et Livurnam iacentem in Valle Sercla sub comitatu Pisano cum omnibus appenditiis ad eam pertinentibus, idest utriusque sexus mancipiis, areis, edificiis, agris, pratis, pascuis, terris cultis et incultis, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, exitibus et redditibus, viis et inviis, quesitis et inquirendis, tradimus ad utilitatem et edificatiomem Pisane ecclesie, Hildebrando eiusque civitatis vicecomite cum fratribus suis monente et impetrante. Set hoc quidem precipue fecimus ob amorem sancte Marie pro remedio anime nostre, dein ob fidem civium hactenus nobis ab eis bene servatam, sperantes eos a modo fore fautores ac defensores honoris nostri. Quam donationem si qua persona magna vel parva infringere temptaverit, centum libras auri optimi sciat se compositurum, medietatem camere nostre et medietatem ipsi matri ecclesie sancte Marie. Cuius donationis testem cartam presentem scribi et propria manu nostra, ut infra videtur, corroboratam sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum domini Henrici tertii Romanorum imperatoris augusti.

Ego Hermannus cancellarius recognovi.

Data est autem Kalendis februarii, anno dominice incarnationis M LXXX VIII, indictione XII, anno II ordin... domni H. XXXVI, imperii quidem anno quinto.

Actum Ratispone in dei nomine feliciter amen.

Item.

In nomine sancte et individue trinitatis. Henricus divina favente clementia quartus Romanorum imperator augustus.

Quod et aliis ecclesiis intuitu religionis nonnunquam impartiri solemus, hoc precipue et Pisanam ecclesiam a nobis impetrare non renuimus. Unde legatorum Pisane civitatis, hoc est Petri consulis, clarissimi viri, item Petri vicecomitis nostri atque Tiebaldi iurisconsulti nostri

fidelis postulationi, benignitatis aures accomodantes, predictam sacrosanctam ecclesiam virginis et dei genitricis Marie in nostram defensionem recepimus eique publicarum functionum immunitatem pia devotione deferimus, quo magis valeat libere divinis ministeriis invigilare divinisque preceptis obsecundare, precipientes ergo precipimus ut ne ullus vel dux vel marchio seu iudex publicus vel aliqua publica persona ingredi audeat in ecclesias aut villas, loca vel agros seu quaslibet possessiones quas sub imperio nostro supradicta Pisana ecclesia iam nunc possidet vel habet vel in futurum possidebit vel habebit neque ad causas audiendas nec freda exigenda aut mansiones vel paratas ibi faciendas seu fideiussores aut homines ipsius ecclesie constringendos, set nec prestationes ullas aut illicitas exactiones a quoquam hominum ibidem requirendas aliquo in tempore concedimus, set liceat hiis qui vel nunc in eadem venerabili ecclesia divinis ministeriis insistunt vel in futurum in eorum locum succedunt omnes predictas ordine res quieto possidere eoque liberius tam pro nobis quam pro totius imperii statu divina misericordia exorare. Si quis autem hoc nostre serenitatis preceptum contempnere vel in aliquo violare presumpserit, sciat se penali centum librarum optimi auri obligatione constringi, cuius dimidium nobis, dimidium prefate venerande ecclesie conferat. Ne autem super hiis omnibus aliqua suboriatur ambiguitas, sigilli nostri impressione presens instrumentum iussimus signari.

Signum domni Henri<sup>sic</sup> quarti Romanorum imperatoris invictissimi.

Buriardus cancellarius Monastriensis episcopus recognovit.

Data VIII Kalendas iulii, anno dominice incarnationis millesimo CXVI, regnante Henrico quinto rege Romanorum, anno X, imperante VI. Actum est in Christo feliciter amen.

Item.

In nomine sancte et individue trinitatis. Henricus divina favente clementia quartus, Romanorum imperator augustus.

Imperialis est maiestatis et sacrosanctis ecclesiis reverentiam et fidelibus nostris deferre clementiam utrisque nostre liberalitatis munificentia exhibeamus ut notum fieri cunctis Christi nostrisque fidelibus tam presentibus quam futuris volumus Pisane civitatis legatos, hoc est Petrum filium Albiti, consulem nostrum clarum nobisque satis carum, Petrum vicecomitem nostrum virum nobilem et sapientem et Tiapaldum<sup>sic</sup> iurisconsultum fidelem nostrum, nostram adisse benignitatem suorumque concivium protulisse petitionem. Quorum precibus duplici ratione moti decrevimus indulgendum esse, vel quia pro ecclesie beneficiis quod religiosum erat intervenirent vel quoniam ipsis digne meritoque tribuenda esse audientia qui eodem anno non parum generale nostro imperio set cuncto christiano populo suis et laboribus et periculis addidissent cum Maiorica copiosam civitatem nec minus populosam vi bellica devictam cum aliis locis adiacentibus funditus everterent. Quapropter eorum postulationi libenter annuentes curtes Livurnam et Papianam in valle Sercli iacentem cum omnibus suis appenditiis et accessionibus, hoc est urisque sexus mancipiis, edificiis, areis, agris, pratis, pascuis, terris cultis et incultis, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, exitibus et redditibus, viis et inviis, quesitis et inquirendis concedimus et tradimus ad utilitatem atque edificationem Pisane ecclesie sancte et gloriose virginis ..... et dei genitricis Marie, ut ex nostra liberalitate ..... seu magna violare vel quoquomodo infringere temptaverit vi, centum librarum auri optimi pene se sciat obnexum, cuius dimidium quidem nostris scriniis, dimidium vero prefate sacrosancte ecclesie persolvat. Cuius donationis argumento huic instrumento inscribi atque hoc nostra manu propria quod inferius apparet corroboratum, sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum domini Henrici quarti Romanorum imperatoris invictissimi.

Buriardus cancellarius et episcopus Monastriensis recognovit.

Data VII Kalendas iulii, indictione VIII, anno dominice incarnationis millesimo CXVI, regnante Henrico quinto rege Romanorum anno X, imperante VI.

Actum est Pasilianum in Christo feliciter amen.

Item.

In nomine sancte et individue trinitatis.

Conradus, divina favente clementia Romanorum rex secundus, dilecto et venerabili Balduvino Pisanorum archiepiscopo eiusque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

Si sacrosanctis dei ecclesiis et regni fidelibus maxime episcopis de facultatibus regni nobis a deo collatis aliqua liberalitate regia conferamus, non credimus regnum diminuere set augere. Predecessores enim nostros bone memorie reges et imperatores ecclesias ex novo fundasse et fundatas ex bonis regni ditasse cognovimus. Ea propter omnibus nostris fidelibus tam presentibus quam futuris notum esse volumus quod pietatis intuitu serenissime interventu Herdrudis auguste consortis regie celsitudinis et glorie, interventu etiam karissimi germani nostri Ottonis reverendi Frisingensium episcopi necnon et abbatum, videlicet Bernardi Clarevallensis, magne sanctitatis viri, atque Adam Eberacensis, tibi Balduvino, venerabili Pisanorum archiepiscopo, tuisque successoribus in perpetuum a regali largitione donavimus et concessimus et inconvulsa permanere pragmatica sanctione decernimus que propriis nominibus subnotantur, scilicet curtem de Avene cum Bovario et Morlo et omnibus suis pertinentiis, terras in palude Pisana iuxta burras positas, item unam petiam de terra pratum in prefata palude prope campum de Arsula positam, que coheret ab uno capite terre monasterii sancti Viti, ab altero capite fluvio Hauseris, latus unum extenditur in palude, alterum latus in Ducaria que dicitur Cula, sicut ipsa Ducaria defluit versus prefatum fluvium Hauseris, curtem de Blentina cum omnibus terris et rebus ad ipsam curtem pertinentibus, placitum et fodrum de Buiti, placitum et fodrum de Vico Auserissule, placitum et fodrum Sancti Iohannis de Vena, placitum et fodrum de Silvalonga, Gonfum Vetus et Novum, placitum et albergariam de Pugnana et Valtriana, placitum et fodrum de Vada et Rasingnano et omnes terras et res in supradictis duabus curiis marchie pertinentes, paludem totam de Mortaiolo et tertiam in Stagno positam, feudum spectariorum qui morantur in Burgo Sancti Pauli in Kinthica, presas Cassiaulensium et illorum de Ripule in Campo Lepoiano positas.

Predictas igitur curtes cum omnibus suis pertinentiis et omnibus terris, vineis, montibus et planis, cultis et incultis, silvis, buscariis, stirpetis, pratis, paludibus, pascuis, aquis aquarumque decursibus, piscariis factis et faciendis, salinis, molendinis in iamdictis curtibus et prenomatis locis et eorum finibus, regio iuri pertinentibus, tibi prefato Balduvino, venerabili archiepiscopo, tuisque successoribus concessimus.

Confirmamus etiam nostra auctoritate contractum habitum inter predecessorem tuum beate memorie Ubertum et abbatem de Morrone, scilicet de Morrone et Vivario et eorum pertinentiis.

Preterea irritum decernimus feudum de Livurna concessum irrationabiliter marchionibus, videlicet Guillhelmo Francigene eiusque fratribus.

Decernimus etiam ut de his omnibus nulli persone ecclesiastice vel seculari, feudi nomine vel alio aliquo titulo, liceat aliquid ab ecclesia alienare. Quod si factum fuerit, irritum habeatur.

Preterea donamus et concedimus tibi tuisque successoribus in perpetuum tributum quod ripaticum vocatur et ab omni parte Pisane civitatis debetur atque statuimus ut, a quibuscumque petitur et exigitur, a te tuisque successoribus ad partem Pisane ecclesie petatur et exigatur.

Si quis igitur archiepiscopus, episcopus, dux, marchio, comes vel aliqua alia persona ecclesiastica vel secularis contra hanc nostre institutionis et donationis paginam aliquid presumpserit, centum libras auri purissimi, medietatem camere nostre et medietatem prefate ecclesie, componat.

Ut autem hec nunc et in perpetuum rata et inconvulsa permaneant, sigilli nostri inpressione corroborari mandavimus. Testes quoque, qui presente aderant, subnotari fecimus, quorum nomina hec sunt: Octo Frisingensis episcopus, Adam Eberacensis abbas, Sigilbertus

Babenbergensis electus, Gottescalsus de Sancta Cruce, M.... Henricus marchionis Loipoldi filius, Henricus comes de Lechefremunde, Manegaldus de Vuerde, Gualterius de Lovenhusen, Gotefridus castellanus de Nurenberch, Folquinus magister scholarum Frisingensium et alii quamplures.

Signum domini Conradi<sup>1</sup> regis Romanorum secundi.

Ego Arnoldus cancellarius vice Alberti Moguntini archicancellarii recognovi.

Anno dominice incarnationis MCXXXVIII, indictione II, regnante Cunrado Romanorum rege secundo, anno vero regni eius secundo.

Data Nuremberc XIII Kalendas augusti in Christo feliciter amen.

Item.

In nomine sancte et individue trinitatis. Fredericus divina favente clementia Romanorum imperator augustus.

Si venerabilium petitiones personarum circa augendas ecclesiarum commoditates clementer admittamus, credimus nobis apud regem regum ad eterni regni meritum et temporalis imperii prosperiorem decursum proficere et eos, quos effectibus suarum honoramus petitionum, non dubitamus nobis et imperio fideliores de cetero ac magis devotos existere.

Eapropter omnibus Christi et imperii nostri fidelibus tam futuris quam presentibus notum esse volumus qualiter nos ob anime nostre salutem et propter dilecti ac fidelis nostri Hubaldi, Pisane ecclesie venerabilis archiepiscopi, petitionem, ipsi iamdicto archiepiscopo suisque successoribus in perpetuum imperiali nostra munificentia dedimus et in feudo et beneficio concessimus et pragmatica sanctione eis confirmamus et inconvulsa stabilitate eis permanere decernimus omnia bona illa et possessiones et iura que dilectus patruus, predecessor noster, pie memorie rex Conradus, eiusdem ecclesie archiepiscopo Balduino ac ipsius successoribus dinoscitur tradidisse, concessisse et confirmasse. Nec enim credimus imperio diminutionem inferre, cum imperii ecclesias donis nostris augere studemus et exaltare.

Ex his autem quedam propriis suis exprimere vocabulis dignum duximus, scilicet curtem de Avane cum Bovario et Morlo et omnibus suis pertinentiis, terras in palude Pisana iuxta burras positas, item unam petiam de terra pratum in prefata palude prope campum de Arsula positam, que coheret ab uno capite terre monasterii sancti Viti, ab altero capite fluvio Hauseris, latus unum extenditur in palude, alterum latus in Ducaria que dicitur Cula, sicut ipsa Ducaria defluit versus prefatum fluvium Hauseris; curtem de Blentina cum omnibus terris et rebus ad curtem ipsam pertinentibus; placitum et fodrum de Buiti, placitum et fodrum de Vico Ausurissule, placitum et fodrum Sancti Iohannis de Vena, placitum et fodrum de Silva Longa, Gunfum vetus et novum, placitum et fodrum et albergariam de Pugnano et Valtriana, placitum et fodrum de Vada et Rassignano et omnes res et terras in supradictis curiis marchie pertinentes; paludem totam de Mortaiolo et tertiam in Stagno positam, feudum Speitariorum qui morantur in Burgo Sancti Pauli in Kincica; presas Cassiaulensium et illorum de Ripule in Campo Lepoiano positas.

Predictas igitur curtes cum omnibus suis pertinentiis et cum omnibus terris, vineis, montibus et planis, cultis et incultis, silvis, buscariis, sterpetis, pratis, paludibus, pascuis, aquis aquarumque decursibus, piscariis factis et faciendis, salinis, molendinis in iamdictis curtibus et prenomatis locis et eorum finibus, regio seu imperatorio iuri pertinentibus, prefato dilecto ac fideli nostro Hubaldo, Pisane sedis venerabili archiepiscopo, et suis in perpetuum successoribus concessimus, tradidimus et confirmavimus.

Confirmamus etiam nostra auctoritate contractum habitum inter Pisanum archiepiscopum Ubertum et abbatem de Morrona, scilicet de Morrona et Vivario et eorum pertinentiis.

Preterea irritum decernimus feudum de Livurna concessum irrationabiliter marchionibus.

Decernimus etiam ut de hiis omnibus nulli persone ecclesiastice vel seculari feudi nomine vel

---

<sup>1</sup> Una u aggiunta sopra la di Conradi, forse un tentativo di correggere in Cunradi

alio aliquo titulo liceat aliquod ab ecclesia alienare, quod si factum fuerit irritum habeatur. Preterea donamus et concedimus prefato archiepiscopo Hubaldo suisque successoribus in perpetuum tributum quod ripaticum vocatur, et ab omni parte Pisane civitatis debetur, atque statuimus ut a quibuscumque petitur et exigitur ab eo suisque successoribus ad partem Pisane ecclesie petatur et exigatur.

Concedimus etiam et confirmamus eidem archiepiscopo et suis successoribus donationem domus quam fecit Berta Botrionis, salva in omnibus pretaxatis imperiali iustitia.

Si quis igitur archiepiscopus, episcopus, dux, marchio, comes, consul, comune vel aliqua persona ecclesiastica vel secularis contra hanc institutionis et donationis paginam aliquatenus venire presumpserit, centum libras auri purissimi, medietatem camere nostre et medietatem archiepiscopo Pisano qui ibidem pro tempore fuerit componat.

Ut autem hec nostris et futuris temporibus rata semper et imconvulsa Pisane ecclesie archiepiscopis permaneant, presentis privilegii paginam fecimus inde scribi et aurea nostre maiestatis bulla insigniri.

Aliquos etiam de testibus qui aderant iussimus annotari, qui sunt Lanfrancus episcopus de Bruniano, Rudolfus notarius, magister Metellus, Guilielmus marchio Montisferrati, Henricus Guercio marchio Wasto, Munruellus marchio Malaspina, Guilielmus marchio de Palot, comes Macharius de Sancto Miniato et filius eius Fratilio, comes Fredericus de Amborc, Burchardus iunior prefectus de Magdeburc, Fredericus de Anvert, Guido de Sancto Nazario, Petrus episcopus Papie et alii quam plures.

Signum domini Frederici Romanorum imperatoris invictissimi.

Ego Gotefridus sacri imperii cancellarius, vice domini Phylippi Coloniensis archiepiscopi et Ytalici regni archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo C septuagesimo ottavo, indictione XI, regnante dimpno Frederico Romanorum imperatore augusto, anno regni eius XXVII, imperii vero XXIII.

Data apud Papiam, VII Idus martii feliciter in Christi nomine amen.

Item.

In nomine sancte et individue trinitatis, G[ottfredus], disponente dei gratia dux et marchio, atque uxor eius Beatrix, omnibus fidelibus nostris in Christo salutem.

Notum fieri volumus omnibus nostris fidelibus tam minoribus quam maioribus qualiter res istius episcopi Pisani et universa que ad eius episcopatum pertinent, sub nostro mundiburgio defendendas recepimus, tali scilicet lege ut nullus nostrorum ministerialium vel eorum subiecti, aut quisquam mortalium, hunc prefatum episcopum immo Pisanum in suis bonis hospitantando<sup>sic</sup>, predando, incendendo aut in placito fatigando, seu foderum tollendo sive quolibet genere vastationis, aut in personis hominum laycorum sive clericorum molestare presumat. Addimus etiam hoc nostre auctoritatis banno, ut quisquis viventium hoc preceptum nostrum transgressus fuerit eumque vel in una re contra istius pagine scripturam molestaverit, debitor centum libras auri componere, medietatem nostre camere, alteram vero partem episcopo.

Et ut hoc melius credatur firmissime reservetur, signum nostri sigilli subter imprimi mandavimus.

Nos autem Henricus septimus, imperator predictus, tuis Oddonis archiepiscopi supradicti supplicationibus annuentes, tibi propter hoc in nostra presentia constituto et nobis de predictis omnibus et singulis que a nobis et imperio recognovisti et recognoscis homagium faciendo ex parte dicte Pisane ecclesie, confirmamus et de gratia ulteriori de novo donamus omne ius quod per litteras et privilegia predicta tibi et eidem ecclesie competit ac illud illesum et integrum perpetuo volumus conservari.

Preterea cum eandem ecclesiam tam propter reverentiam maiestatis altissimi quam mee

divotionis laudande merita et magne fidelitatis obsequia non solum in suis iuribus, libertatibus et immunitatibus conservare, set etiam gratiosis largitionibus prosequi cupientes, tibi presentium tenore concedimus quod in terris ecclesie predictae sitis extra ecclesiam sancti Petri ad Gradum versus Pisas et ultra versus Portum Pisanum et fauces Arni possis domificare villamque construere, cuius habitantes et heredes eorum ut ad manendum in loco illo qui silvestris et infirmus esse dicitur libertatis alliciantur dulcedine, tibi tuisque successoribus in perpetuum totaliter subiecti existant et ab omni iurisdictione Pisani comunis et quorumcumque aliorum penitus sint exempti, ita tamen quod nemo de civitate vel districtu Pisano natus villam predictam inhabitet set tu et successores prefati in ipsa villa pro divinis misteriis exercendo postquam dicti habitantes centum vel plures ibi commorantes extiterint, sex sacerdotes et unum guardianum cum decenti familia teneatis.

Demum ut gratie nostre plenitudine potiaris tuos et successorum tuorum familiares, domesticos et commensales continue tuis seu ipsorum successorum ac ecclesie Pisane predictae servit..... tuis vel eorundem successorum et ipsius ecclesie continuis sumptibus expensis et vestibus insistentes, quos nunc habes et quos in futuro fraudibus et dolis cessantibus ad servitia predicta tu ..... successores receperitis usque ad numerum quinquaginta famulorum laycorum ab omnibus et singulis civitatis Pisane quorumcumque aliorum personalibus oneribus, collectis, datiis, prestantiis, angariis, perangariis, exactionibus quibuscumque ac omni iurisdictione et potestate quamdiu servitiis predictis sicut dictum est extiterint et tibi et eisdem successoribus iurisdictionem et potestatem predictas super ipsos familiares huiusmodi committimus per presentes. Vulumus tamen quod neminem ad huius famulatum tu vel iidem successores inter..... ipsum a iurisdictione ..... eximenda aut aliter malitiose set solum consideratione sui personalis servitii recipere valeatis. Quod si sic factum fuerit, nos id decernimus irritum et inane.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis, donationis, concessionis et exemptionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem id attemptare presumpserit, indignationem nostram et penam quingentarum librarum auri, pro medietate camere nostre et pro medietate eidem ecclesie Pisane persolvendam se noverit incursum.

Huius autem rei testes sunt venerabiles fratres Nicolaus Botrontinus et Bonifacius Herronensis episcopi et spectabiles viri Amedeus Sabaldie comes, Manfredus de Claromonte comes de Moach, Wernherus comes de Homberg, Henricus de Flandia mariscalcus noster et quam plures alii nobiles et barones.

Signum domini Henrici septimi (S) Romanorum imperatoris invictissimi.

In cuius rei testimonium presentes litteras exinde conscribi et maiestatis nostre bulla aurea iussimus communiri.

Data Pisis XIII Kalendas iunii, indictione XI, anno domini millesimo trecentesimo tertio decimo, regni nostri anno quinto, imperii vero primo.

Et ego frater Henricus Tridentinus episcopus, sacre imperialis aule cancellarius, vice domini Henrici Coloniensis archiepiscopi per Italiam archicancellarii, recognovi.

2 dicembre 1337

Archivio di Stato di Pisa. Diplomatico Roncioni.

1338 dicembre 2, indizione 6. Corta.

**Regesto:**

Esame di testimoni fatto nella curia degli arbitri della città di Pisa, alla presenza di Giovanni Morovello da Vico e di Iacopo Fauglia, giudici pubblici di detta curia, nella causa vertente fra Pietro q Opito dei Gualandi da una parte, a cui appartiene la villa di Colognole, distretto del Porto Pisano, e Ghelino di Nardo detto Gaido, console e sindaco del comune di Orciano e Scottriano dall'altra parte, relativa ai confini dei comuni di Colognole e Scottriano e ai termini collocati e da collocarsi tra i confini medesimi da Testa, agrimensore, in ottemperanza agli ordini dei giudici.

Fatto nei comuni e luoghi suddetti

Rogò Francesco del fu Ildebrandino Merolla da Vico

Estratto dagli atti del suddetto notaio e pubblicato da ser Luca del fu Iacopo da Vico.

**Originale:**

In nomine domini amen. Cum lis et questio verteretur inter Petrum condam domini Opithi de Gualandis ex una parte, cuius Petri est ut dixit villa Colognoli pleberii seu capitaneie Pisani Portus eiusque curia necnon possessiones et bona quasi omnia posite et posita in dicta villa eiusque curia territorio et confinibus et ad quem Petrum infrascripta terminatio et declaratio ex una parte spectat, ut dixit, et Chelinum Nardi vocatum Gaidum, consulem et syndicum comunis Orciani et Scottriani, consulatus et sindicatus nomine pro dicto comuni, ex parte altera, de confinibus ipsorum comunium Colognoli et Scottriani et de terminis positis et ponendis inter confines dictorum comunium et eorum et cuiusque eorum occasione et causa, et dictus Petrus, pro predictis et eorum occasione et causa, fecerat citari et requiri suprascriptum Chelinum, tanquam consulem et syndicum suprascripti comunis Scottriani, consulatus et sindicatus nomine pro ipso comuni et vice et nomine ipsius comunis, ad curiam arbitrorum Pisane civitatis coram dominis Iohanne Morovello de Vico et Iacobo Favullia, publicis iudicibus suprascripte curie, pro terminando et terminos ponendo et figendo in confinibus dictorum comunium inter dicta comunia et pro declarando confines utriusque comunis, ut de hiis dicte partes dixerunt contineri in actis dicte curie arbitrorum et post hec dicta occasione predicti Petrus ex una parte et suprascriptus Chelinus, nomine quo supra, ex altera parte iverint ad suprascriptam curiam arbitrorum unanimiter et concorditer coram suprascriptis iudicibus et arbitris et dixerint et petierint quod dicta curia arbitrorum seu officiales ipsius curie seu prs ipsorum officialium deberent ire ad dictas villas et comunia, scilicet ad loca confinium dictorum comunium de quibus est questio inter dictas partes et ipsa loca et confines videre et super predictis testes ab utraque parte inducendos examinare et ipsos confines inter dicta comunia declarare et si expedierit ibi inter dictos confines dictorum comunium Colognoli et Scottriani terminos ponere et figere et poni et figi facere prout et sicut iudicibus seu iudici dicte curie videbitur et placuerit tam ex dictis etpresumptionibus dictorum testium per dictos iudices seu iudicen super predictis examinandorum quam ex eorum vel eius arbitrio, et quod sicut dicta curia declaraverit et dixerit, ita fieri et observari deberetur a quolibet dictarum partium, ut de hiis etiam dicte partes dixerint contineri in actis dicte curie arbitrorum.

Et post hec etiam dominus Iacobus Favullia, iudex et arbiter dicte curie, de conscientia et voluntate dicti domini Iohannis, consocii sui, et ad petitionem et instantiam dictorum partium, una mecum Francisco Merolla de Vico scriba publico suprascripte curie arbitrorum et cum Festa Ugolini de Sancta Cecilia agrimensore Pisani comunis ad ipsam curiam arbitrorum iverit ad loca et confines predicto,s de quibus est questio inter dictas partes, ut supra dicitur; et ibi dictas partes et primo suprascriptum Petrum actorem exponentes et dicentes quod curia et confines dicti seu comunis de Colognoli protendebantur versus dictum domune de Scottriano ex latere et ex parte comunis Pandoiani et Sancti Reguli usque ad terminum positum et fixum super colle vocato Colle Pinsuti et quod dictus terminus indicabat et indicat confines trium comunium scilicet comunium Colognoli,

Sancti Reguli et Scottriani et usque ad terminum qui est fixus in loco qui dicitur Pothavilla videlicet inter puteum atiquum et puteum de Pothavilla scilicet prope ipsos puteos et quod dictus terminus de Pothavilla indicabat et indicat solum confines in[ter] duo comunia, Colognoli et Scottriani, et a dicto termino de Colle Pinsuto usque ad dictum terminum de Pothavilla sicut trahit recta linea et quod ex later comunis Gabbri protendebantur usque ad terminum fixum super quodam Colle vocato e nominato \*\*\*, qui terminus fuit positus et fixus super ipso colle ut dicebatur per dictum Petrum per Boctaccium olim agrimensorem Pisani comunis de madato domini Stefani Gaitani iudicis olim dicte curie arbitratorum inter confines dictorum comunium Gabbri et Scottriani ad petitionem dicti comunis de Gabbro et de Scottriano, et a dicto termino de Colle \*\*\* usque ad dictos terminos de Colle Pinsuti et Pothavilla sicut trahit recta linea.

Et secundo audivitur dictum Chelinum, nomine quo supra, dicentem et negantem omnia predicta per dictum Petrum exposita ..... set dixit quod confines dicti sui comunis de Scottriano protendebantur usque ad terminum de Colle Pinsuti et usque ad terminum qui suevit esse in quodam campo posito in loco dicto Pothavilla sive Poggio Finocchio versus Colognoli sub dictum Podio Finocchio et usque ad terminum antiquum fixum in podio et super podio vocato Poggio Rigagnoli et a dictis primis duobus terminis usque ad dictum terminum de Rigagnoli sicut trahit recta linea et super predictis omnibus terminis et confinibus dictis per utramque partem ipse dominus Iacobus testes infrascriptos inductos a dicto Chelino examinavitur, quorum dicta et attestaciones inferius describuntur et sunt hec, videlicet:

Bonaiuncta Martini de comuni Sancti Regoli, testis productus a suprascripto Chelino nomine quo supra et iuratus dicere veritatem, pridie Kalendas decembris, presentibus dictis partibus, et diligenter examinatus a suprascripto domino Iacobo iudice super predictis terminis et confinibus narratis et dictis per suprascriptum Chelinum, dicto nomine ut supra continetur, et super eis interrogatus dixit se nichil aliud scire nisi quod ipse testis iam sunt multi et multi anni elapsi ex quo dici audivit a multis et diversis personis quod terminus olim fixus et positus super quodam colle vocato Colle Pinsuti et qui nunc ibi est indicat et indicavit confinem inter tria comunia scilicet inter comunia Colognoli, Sancti Regoli et Scottriani, de aliis terminis vel confinibus dictorum comunium Colognoli et Scottriani inter ipsa duo comunia confines indicantibus dixit se nichil scire;

Lensus Tonis de suprascripto comuni Sancti Regoli, testis etiam productus a suprascripto Chelino, dicto nomine, et iuratus ut supra, suprascripto die, presentibus dictis partibus, et diligenter examinatus a suprascripto iudice super eisdem et interrogatus dixit se tantum inde scire quod ipse testis iam sunt annis triginta sex proxime preteriti et ultra audivit dici a multis et diversis personis de suo comuni quod quidam terminus qui consuevit esse fixus super Colle Stuplato, vocato Al Pero Gherardino prope fontanam, indicabat confines inter tria comunia scilicet Colognoli, Sancti Regoli et Scottriani et quod erat medius confinium dictorum trium comunium, de aliis terminis vel confinibus dictorum comunium Colognoli et Scottriani dixit se nichil scire.

Ursellus Lamberti de Sancto Regulo suprascripto, testis etiam productus a suprascripto Chelino, dicto nomine, et iuratus suprascripto die, presentibus dictis partibus, et diligenter examinatus a suprascripto iudice super eisdem, ut alii testes predicti, et super eis dixit interrogatus et fuit attestatus ...dem per omnia ut supra dixit dictus Lensus;

Tuccius condam Bonacursi de Palliana, testis etiam productus a suprascripto Chelino, dicto nomine, et iuratus suprascripto die, presentibus suprascriptis partibus, et super eis diligenter examinatus a suprascripto iudice et super eis interrogatus dixit se nichil inde sciret.

Et post hec etiam dictus dominus Iacobus iudex examinaverit infrascriptos testes, productos a suprascripto Petro et examinandos super terminis suprascriptis, de quibus ipse Petrus supra dixit in sua narratione et expositione, quorum dicta et attestaciones sunt hee videlicet:

Nerius Gerardi de comuni Toricchi, testis productus a suprascripto Petro, et iuratus dicere veritatem suprascripto die et diligenter examinatus a suprascripto domino Iacobo iudice super predictis terminis et confinibus indicantibus et dividantibus confines inter dicta comunia Colognoli et Scottriani, de quibus dictus Petrus supra dixit et super eis interrogatus dixit se nichil aliud inde scire nisi quod terminus antiquus qui era fixus super podio de Rigagnoli suprascripto est terminus qui



solummodo indicat et indicavit toto tempore quo sibi testi recordari videlicet ut dici audivit ab ominibus sui comunis confines inter suum comune de Gabbro comunis Toricchi et dictum comune Colognoli et non alios confines, aliud dixit se nescire;

Datinus Michaelis de suprascripto comuni Toricchii, testis productus a suprascripto Petro, et iuratus dicere veritatem de ipsis terminis et confinibus, suprascripto die, et super eis interrogatus et diligenter examinatus a suprascripto domino Iacobo iudice dixit et attestatus fuit iddem per omnia ut supra dixit dictus Nerius Gerardi, aliud dixit se nescire.

Gadduccius Vannis de suprascripto comuni Toricchii, testis productus a suprascripto Petro, et iuratus dicere veritatem, suprascripto die, et diligenter examinatus a suprascripto iudice super eisdem terminis et confinibus et super eis interrogatus dixit et attestatus fuit iddem per omnia ut supra dixit suprascriptus Nerius Gerardi, aliud dixit se nescire.

Idcirco suprascriptus dominus Iacobus, iudex et arbiter suprascriptus, visis et intellectis dictis et expositis per suprascriptas partes necnon dictis et attestationibus suprascriptorum testium hinc inde productorum, cum per eorum dicta vel attestationes et depositionum parum vel nichil habere vel invenire posset de veritate dictorum confinium et terminorum suprascriptorum confinium Colognoli et Scottriani, habito iterum colloquio cum partibus suprascriptis et ipsis partibus ad concordiam iam reductis quasi iam concordantibus de predictis oculos suos subiciens locis predictis et auditis rationibus utriusque partis ac etiam habita sufficienti presumptione et informatione a pluribus aliis personis de locis ibidem circumstantibus et omnibus aliis diligenter inspectis et consideratis, de consensu et voluntate partium predictarum, coram me Francisco notario et testibus infrascriptis dixit et mandavit suprascripto Feste agrimensori quod inter confines dictorum comunium Colognoli et Scottriani debet ponere et figere, videlicet in infrascriptis locis, infrascriptos terminos, videlicet:

- unum terminum super podio dicto Poggio di Vallesancta,
- et unum alium terminum super podio vocato Al Capo di Vallino di Ciano,
- et unum alium terminum super podio Fontane;

et quod suprascripti termini figendi una cum terminis antiquis dudum fixi in loco dicto Colle Pinsuti et in loco dicto Posso Antico et Pothavilla, prope ipsos puteos, et in loco dicto Poggio di Rigagnoli, sint et esse debeant medii et meçani confinium dictorum comunium Colognoli et Scottriani et indicent confines dictorum duorum comunium; et quod ipsi termini omnes ad invicem sibi ipsis inspiciant recta linea, hoc modo videlicet suprascriptus terminus de Podio Rigagnoli cum suprascripto termini figendo super podio Vallis Sancte, et item terminus de podio Vallis Sancte cum termino ponendo et figendo super podio vocato Al Capo di Vallino di Ciano cum suprascripto termino de Puteo Antiquo et Possavilla predicto, et ipse terminus de Puteo Antiquo et Pothavilla cum suprascripto termino figendo super podio Fontane, et ipse terminus de Podio Fontanr cum dicto termino de Colle Pinsuti, sicut trahunt recta linea ut dictum est ab uno ad alium, ita quod confines et curia dicti comunis Colognoli protendantur et protendere debeant versus dictam villam et comune de Scottriano usque ad ipsos terminos omnes eosdem.

Qui Festus agrimensor predictus statim, presente dicto domino Iacobo iudice et coram me Francisco notario et testibus infrascriptis, presentibus dictis partibus, sequens formam suprascripti comandamenti facti ut predicatur, posuit et fixit infrascriptos terminos, videlicet: unum terminum super dicto Podio Vallis Sancte et alium terminum super dicto Podio Fontane, et unum alium terminum super dicto podio vocato Podio di Vallino di Ciano.

Et taliter mihi Francisco notario dictus Iacobus iudex et arbiter suprascriptus cartam de predictis scribere mandavit.

Acta sunt hec in dictis locis et confinibus ubi dicti termini sunt et erant fixi tam de novo quam ex antiquo, de quibus supra fit mentio, presentibus et petentibus suprascriptis partibus et presentibus Corsuccio Pardi, Vannuccio Nocchi, Helia Ciani, Vannuccio Mannuccii, Nanne Guerrecti, Christiani Cagnassi, Nocchino Fortini, omnibus suprascriptis de comuni Scottriani, et infrascriptis hominibus de suprascripto comuni Colognoli, videlicet Ceo Gaitani, Brunecto Maggii, Puccino Nerii, Iannello Iuncte et Lello Fatii, et pluribus aliis testibus ad hec rogatis, dominice incarnationis anno millesimo trecentesimo trigesimo octavo, indictione sexta, quarto Nonas decembris.

(S) Ego Luca condam Iacobi de Vico, civis Pisanus, imperiali auctoritate iudex ordinarius atque notarius, predicta omnia et singula ut in actis ser Francisci notarii condam Ildebrandini Merolle de Vico inveni, ita hic scripsi et publicavi.

## 7 febbraio 1346

Archivio di Stato di Pisa, Diplomatico Roncioni n. 1024. Diplomatico generale n. 7697.  
1346 febbraio 7, Indizione 14. Corta.

### **Regesto:**

Colo di Giovanni della parrocchia di san Pietro a Ischia confessa di aver ricevuto in prestito da Barone notaio da Livorno della parrocchia di santa Margherita lire 3 soldi 1 e denari 3 di moneta pisana, col patto di restituirli entra 3 mesi.

Fatto in Pisa nella curia dei mercanti situata nella parrocchia di san Iacopo de Mercato.

Rogò Bindo di ser Bene da Calci notaio imperiale.

### **Originale:**

In dei nomine amen. Ex hoc publico instrumento sit omnibus audientibus manifestum quod Colus Iohannis de Laudibus de cappella sancti Petri ad Yschiam, coram me Bindo notario infrascripto et testibus infrascriptis, fuit confessus in veritate se habuisse et recepisse et apud se habere ab Barone notario de Liburna de cappella sancte Margarite, mutuo gratis et amore, libras tres soldum unum et denarios tres denariorum Pisanorum. Quas libras tres soldum unum et denarios tres denariorum Pisanorum. Quas libras tres soldum unum et denarios tres per solempnem stipulationem convenit et promisit suprascripto Baroni reddere solvere et pacare ipsi Baroni vel eius heredibus aut suo certo nuntio pro eo hinc ad tres menses proxime venturos, in denariis tantum et non in alia re contra eius voluntatem, sine omni briga molestia reclamatione curie et ullis expensis. Alioquin penam dupli dicte quantitatis pecunie stipulatione promissam et expensas que propterea fierent ipsi Baroni per stipulationem componere dareet pacare conveniit et promisit, obligando dictus Colus inde se et suos heredes et bona omnis ipsi Baroni et eius heredibus, renuntiando omni iuri et legi auxilio exceptioni et defentioni constituto et constitutioni sibi competentibus et competituris contra predicta et infrascripta. Et sic precepit et bailiam et potestatem dedit dicto Baroni a dicto termino in antea intrandi et apprehendi possessionem et tenere bonorum omnium suprascripti Coli sua ipsius Baronis et eius heredum auctoritate propria et etiam iudiciali cum nuntio et sine nuntio et quotiens sibi placuerit. Que bona se pro eo constituit interi possidere.

Et est actum inter eos ex pacto quod solutio vel absolutio aut compensatio seu debiti satisfactio vel termini prorogatio aut aliquid aliud huic carte contrarium vel nocivum dici vel opponi non possit per testes vel alio modo nisi per hanc cartam cassam vel per aliam publicam contracartam inde a legali notario confectam; et quod dictus Barone possit dictum Colum facere capi et in carceres micti et ibi detineri usque ad integram satisfactionem factam de predictis-

Actum est Pisis in curia mercatorum posita in cappella sancti Iacobi de Mercato, presentibus ser Petro Admannati de Ghessano notario de cappella sancte Cecilie et Francischo Michaelis de Seta de suprascripta cappella, testibus ad hec rogatis, dominice incarnationis anno millesimo trecentesimo quadregesimo sexto, indictione quartadecima, septimo Ydus februarii.

(S) Ego Bindus filius ser Benis de Calci, imperiali auctoritate notarius, predictis omnibus interfui et ea, rogatus scribere, scripsi et firmavi.

## Luglio-Agosto 1370

Archivio di Stato di Pisa, Archivio del Comune, Divisione A, registro 147  
Registro di 190 carte, datate luglio e agosto 1371 stile pisano, 1370 stile comune

[c.6v – 7 luglio 1370]

Et Beccio Michotti de Liburna, misso cum eius schifo a[d] faucem Sercli pro pischando pro domino Malastesta et aliis capitaneis exercitu[s] lige, pro honore Pisani Comunis, florenos tres pro labore quem sustinuit et petiorum quattuor retium suarum quos perdidit in servitio suprascripto.

[c.9r – 8 luglio 1370]

Et ser Bartholomeo de Carraria, capitaneo custodie dominorum Anthianorum, eius salarium et mercedem duorum mensium, inceptorum die undecima may proxime preteriti, ad ractionem in eius elettione comprehensam, in una parte.

Et ser Bartholomeo predicto, pro emenda unius sui equi et ronsini pili nigri ..... sine aliquo signo, ablati ser Herico officiali suo per hostes Pisani Comunis, eo existente in partibus Liburne cum sex famulis dicti capitanei, de mandato dominorum Anthianorum, pro faciendo dischoberari florenos viginti quinque auri in auro, quibus equus sive [ronsinus] suprascriptus exstimatus fui[t], ut patet per apodissam sigillata sigillo cancellarie Pisani comunis.

Et in alia parte ser Bartholomeo suprascripto florenos quindecim auri in auro sine cabella et omni alia retentione, pro emenda armarum et aliarum rerum, abbratarum ipsis famulis per ipsos ostes, eis existentibus cum dicto officiali.

[c.12r – 11 luglio 1370]

Et Beccio Micocci de Liburna florenos tres auri in auro sine ulla retentione cabelle, pro nauulo unius sui schiphy, quod iuit in servitium Pisani Comunis ad partes Sarzane pro explorando nova, die quinta huius mensis, super quo iverunt certi balistarii Ianuenses, prout de hiis plene informati sunt.

[c.16v – 24 luglio 1370]

Et Dominicho Iohannis suprascripto, pro diebus tribus quibus stetit Liburna pro Comuni Pisano, quando fuit illuc missus, cum balista super uno ligno ad custodia[m] eius, subsidium expens[arum] pro diebus tribus quibus ibi stetit, ad suprascriptam ractionem per diem.

[c.17r - 25 luglio 1370]

Et Gaddo Gesis de Liburna, olim misso super tribus schifis oneratis pane ad terram Pietrasante pro munimine exercitus lige, libras octo denariorum Pisanorum pro toto tempore quod stetit eundo, stando et redeundo pro dicto servitio.

[c.20v – 1 agosto 1370]

Et Obbiso Falconis, olim misso per dominos anthianos a terram Liburne pluribus vicibus occasione grani et galee Genouentum tu[n]c ibi existentium, per aquam.

Item misso ad regimen Florentie cum duobus equis, pro eius salario et mercede dictorum itinerum et abatiatarum, factorum per eum Comuni Pisano, florenos decem de auro dischonputando sibi florenos sex auri qua[n]do habuit mutuo qua[n]do iuit.

[c.21r – 1 agosto 1370]

Et Puccio condam Herigy de Ponte, olim exactor cabelle vini et carniarum terre Liburne pro comuni Pisano, eius salarium et mercedem dicti officii pro uno me[n]se proxime venturo, incipiendi die prima iulii, quibus dictum officium exsercuit, ad ractionem librarum viginti per mensem secundum formam sue electionis.

[cc.22v-23r – 7 agosto 1370]

Et Ranerio Puglesi de cappella sancti Simonis Porte Maris, barchaiuolo, qui portavit apud roccham Golgone super quadam sua barcha Giglium aurificem, castellanum dicte rocche pro comuni Pisano, cum tribus sergentibus et reduxit ad civitatem Pisanam super dicta barcha magistrum // Valentinum, magistrum murorum, de cappella sancti Viti, olim castellano dicte rocche pro comuni Pisano cum tribus sergentibus, florenos tres auri in auro sine cabelle retentione palatii et pontium vel alia cabella.

[cc.56v-57v – 11 luglio 1370]

Die undecimo iulii, VIII indictionis

Providerunt infrascripti sapientes viri, super hiis a dominis anthianis Pisani populi electi, intelletta petitione ipsis domini anthianis exhibita pro parte // Francisci Bindi Mezzoconte de cappella sancti Marci Vie Calcezane, qui emit a comuni Pisano cabellam et dirictum vini et carniū Pleberiorum Pisani Portus in termino unius anni incepti in Kalendis may proxime preteriti, pro pretio librarum trecentarum vigintiquinque soldorum quinque et denariorum trium denariorum Pisanorum, cuius provisionis tenor inferius est descritus, partitu facto inter eos ad denarios albos et giallos secundum formam brevis Pisani comunis et populi.

Coram vobis domini antianis Pisani populi, pro parte Franciscii Bindi Mezzoconte de cappella sancti Marci Vie Calcezane exponitur reverenter quod ipse emit a comuni Pisano cabellam et dirictum vini et carniū Pleberiorum Pisani Portus in termino unius anni incepti in Kalendis may proxime preteriti, pro pretio librarum trecentarum viginti quinque et soldorum quinque et denariorum trium denariorum Pisanorum, dominice incarnationis anno MCCCCLXX, indictione octava, septimo Ydus may, propter adventum societatum domini Iohannis Acut et domini Iohannis de Reten dictus Francischus dicta cabella non potuit uti vel gaudere aut possidere propter disghuberationem vini et bestiaminis et dampna predictos et rapinas per gentes ipsorum societatum facta et illata in comunibus et locis dicatorum pleberiorum, propter que dictus emptor multum fuit danificatus et ipsa cabella non potuit exigi vel recolligi in ipsis locis propter dictas occasiones; et unde sperabant ex ipsa cabella lucrum vel commodum consequi, inde dampnum adeptus et consecutus fuit.

Quare dominationi vestre humiliter supplicatur quatinus intuitu equitatis vobis placeat indemnitati ipsius emptoris aliquiliter providere ipsumque pro pretio ipsius cabelle eiusque solutionis alleviare et supportare secundum dampnum ex ipsa cabella per eum habitum occasione adventus et mora ipsarum societatum, prout dominationi vestre videbitur.

Quod consideratis dampnis et interesse pro dicto emptore habitis occasione adventus // societatum predictorum pro ipsorum dampnorum satisfacione dischomputetur et remictantur et discomputari et remicti debeant dicto Francischo emptori de summa solutionis pecunie per eum debite comuni Pisano occasione emptionis predictae libre trigintaquinque denariorum Pisanorum sine ulla retentione cabelle vel aliter dirictu, et quod, soluto residuo quod ex forma dicte emptionis solvere tenetur comuni Pisano predicto, dictus emptor ei[s]dem libris triginta quinque denariorum Pisanorum eis remissis occasione predicta sint et esse intelligatur liber at absolutus, dummodo dictus emptor finem et quietantiam faciat comuni Pisano de omni et toto eo quod petere posset a comuni Pisano predicto occasione dapnorum et interesse superius expressis, virtute presentis provisionis, contrarietate aliqua non obstante.

Nomina sapientum: Colus Gattus, Barthalus Murcius, Barthalus Cinquinus, Iohannes de Colle et Ranerius Sardus.

Et quod dominus Iohannes filius domini Raynerii Bonifatii de Gualandis, potestatis pleberii Pisani Portus et terre Liburne pro comuni Pisano pro sex mensibus inceptis in Kalendis iulii presentis, possit et sibi liceat facere et exercere pro ipso domino Raynerio, nunc inhabile, officium potestarie Liburne uno mense proxime venturo libere, licite et impune, infra quod tempus ipse dominus

Raynerius convalescentiam constituet, et quod fienda per ipsum dominum Iohannem in dicto officio ipso tempore valeant et teneant ac servantur in omnibus et per omnia ac si fierent et facta forent per ipsum dominum Raynerium contrarietate aliqua non obstante vigore presentis provisionis.

[c.58r – 18 luglio 1370]

Quintodecimo Kalendas agusti octave indictionis

Providerunt domini anthiani Pisani populi, partitu facto inter eos ad denarios albos et giallos secundum formam brevis Pisani populi, et providendo ratificaverunt et adprobaverunt et confirmaverunt suprascriptam provisionem sapientum virorum volentes et statuentes ipsam valere et inviolabiliter observari per omnia prout in ea per omnia et singula continetur, contrarietate aliqua non obstante.

[c.65v - 10 agosto 1370]

Quarto Ydus augusti

Providerunt domini Anthiani Pisani Populi, partitu facto inter eos ad denarios albos et giallos, secundum formam Brevis Pisani Populi, quod ser Macigna, notarius, condam ser Guidonis Macigne, cancellarius Pisani Comunis ad licteras in cancellaria Pisani Comunis, syndicus et procurator ad hec et alia faciendum Pisano Comuni, per cartam dicti sindicatus rogatam a me Piero notario filio Parduccii de Sancto Iacobo de Orticia, scribam publicum suprascripte cancellarie Pisani Comunis, pro Comuni Pisano hoc anno et indictione presente, quarto Ydusiulii, possit et sibi liceat vendere :

.....

Pero de Vaccha de cappella sancti Sepulcri cabellam vini et carniū terre Liburne cum fundaco Pisani Portus, que venditur ad minutum in suprascriptis locis, in termino unius anni, incepti in Kalendis augusti presentis pro pretio librarum quinque milia viginti quinque denariorum Pisanorum, solvendorum comuni Pisano in tribus pagis ut moris est.

[cc.67v-68v – 11 luglio 1370]

Die undecimo iulii octave indictionis

Providerunt infrascripti sapientes viri super hiis a dominis anthianis Pisani populi eletti, intelletta petitione ipsis dominis anthianis exhibita pro parte Puccii Herigi de Ponte de cappella sancte Christine, qui emit a comuni Pisano cabellam et dirictum vini et carniū capitantie Liburne et fundaci Portus Pisani in termino unius anni finiti in Kalendis iunii proxime preteriti pro pretio librarum trium milium quingentarum triginta et soldorum decem denariorum nove denariorum Pisanorum, cuius provisionis tenor talis est

Coram vobis dominis anthianis Pisani populi pro parte Puccii condam Herigi de Ponte de cappella sancte Christine, devoti et fidelis servitoris vestri, exponitur cum omni reverentia quod ipse emit a comuni Pisano dirictum cabelle vini et carniū capitantie Liburne et fundaci Portus Pisani [c.68r] in termino unius anni finiti in Kalendis iunii presentis pro pretio librarum tremilium quingentarum triginta et soldorum decem et denariorum novem denariorum Pisanorum solvendo per eum comuni Pisano in tribus pagis, de quibus solvit ipsi comuni duos primos pagos et quod ipse Puccius propter disguberationem factam per homines dictorum locorum de personis et rebus eorum de mense decembris proxime preteriti mandato vestre dominationis, metu gentis domini Bernabovus de Mediolano tunc existentis super territorio Pisane civitatis, gentis metu homines dictorum locorum steterunt absentes ab eisdem locis per mensem et dimidium vel circa et nichil dicto tempore dictus Puccius de dicto dirictu percepit vel percipere potuit pro predictis, et propter adventum gentis eiusdem domini Bernabovus que pridie accessit ad dicta loca et dictam terram Liburne per vim intravit et domum eiusdem Puccii et massaritas et bona sua que ibi habebat combussit, est suprascriptus Puccius dampnificatus in tantum quod ad paupertatem reductus est ex quo nullo modo solvere posset Comuni Pisano tertiam pagam suprascripti pretii dicti dirictus ut tenetur vix emere poterit, suis occurrentibus subtiliis respondere.

Supplicatur ergo vestre magnifice dominationi humiliter, pro parte dicti Puccii, servitoribus vestri quatinus dignetur pietatis intuitu providere de indepnitate dicti Puccii eo modo et sicut eidem vestre dominationi, consideratis predictis, videbitur convenienter, quod considerantis dampnum habitum per dictum Puccium in dictis cabella et dirictu occasione adventus suprascripte gentis, in et pro satisfatione dictorum // [c.68v] dampnorum discomputentur et discomputari debeant dicto Puccio in ultima paga quam solvere debet comuni Pisano, ratione dicti dirictus et cabelle floreni centum auri de summa dicte page solvantur sine aliqua retentione dirictus vel cabelle et quod solvendo residuum dicte page asolutione dictorum florenorum centum auri sit et esse intelligatur liberus et absolutus, dummodo dictus emptor faciat finem et quietationem faciat Comuni Pisano de omni et toto eo quod petere posset a Comuni Pisano predicto occasione damonorum etinteresse sumptorum expensarum virtute presentis provisionis, contrarietate aliqua non obstante.